NICETAS REMESIANENSIS. ORIGENES
4. Viertel 12. Jh. Seite 27r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



nes & recentes ipsi diei edere uibet hesternas prohibet. Recordatus sum
simile aliquid & prophetam exechielem dicere: cum ei dominus precepisset ut coque
ret sibi panes in stercore humano. Respondit enim domino & dixit. O domine numquam
contaminata est anima mea. & morticinum & immundum non introuit in os
meum. sed neque caro hesterna introuit in os meum. De quo sepe apud me
metipsum requirebam. quae nam esset ista prophetae exultatio. quae uelut mag
num [illegible] aliquid apud dominum proferret et diceret. quia numquam
carnem hesternam manducaui. Sed ut uideo hinc edoctores. & ex istis
imbutores mysteriis. haec propheta loquebatur ad dominum. quia non ita abiectus
& degener sum sacerdos. ut hesternis i. ueteribus carnibus uescar.
Audite haec omnes domini sacerdotes. & intentius intelligite quae dicuntur.
Caro quae ex sacrificiis sacerdotibus deputatur. uerbum dei est. quod in ecclesia
docent. Et hoc ergo figuris misticis commonentur. ut cum proferre ad populum ser
monem ceperint. non hesterna proferant. non uetera quae sunt secundum litteram
proloquantur. sed per gratiam dei nouas semper proferant. & spiritalia semper in
ueniant. Si enim ea quae didiceris a iudeis hesterno. haec hodie in
ecclesia proferas. hoc est hesternam carnem sacrificii edere. Si meministis.
& iam in oblatione primitiarum eodem sermone usus est legislator. ut
sint inquit noua & recentia. Vides ubique ea quae ad laudes dei
pertinent. hoc enim sacrificium laudis noua & recentia esse debere. ne
forte cum uetera profers in ecclesia. labia tua loquantur. & mens tua sine
fructu sit. Sed audi quid dicit apostolus. Si inquit loquar linguis. spiritus meus
orat. sed mens mea sine fructu est. Quid ergo est. Orabo inquit spiritu. ora
bo & mente. Psalmum dicam spiritu. psalmum dicam & mente. Ita ergo & tu.
si non ex eruditione spiritali & ex doctrina gratiae dei presentem & re
centem protuleris sermonem in laudibus dei. os tuum quidem offert sa
crificium laudis. sed mens tua pro sterilitate hesternae carnis arguitur.
Nam & dominus panem quem discipulis dabat dicebat eis. accipite & mandu
cate. non distulit nec reseruare iussit in crastinum. Hoc fortasse myste
rii continet. & iam in eo quod panem portare non iubet in uia. ut semper recen
tes quos intra te geris. uerbi dei proferas panes. Denique gabaonite
illi propterea condempnantur. & ligni cesores uel aquae gestatores fiunt.